




# PALAESTRA LATINA



## SUMMARIUM

- POPULI ROMANI INDOLES. (Th. Planas).  
PARTICULAE «QUIN» VARIUS USUS. (E. Jové).  
INTER SCHOLARES.  
CORDIUM CONCENTUS. (R. Ribera).  
PALAESTRICUS EPHEBIS SUIS.  
EXERCITATIONES SCHOLARES.  
AEGIDIUS FORCELLINIUS. (J. Mir).  
NEMAUSUM CIVITAS. (M. López).  
PRAXITELES. (Phidiacus).  
CONLOQUIUM INTER AMICOS. (Philoponus).  
PER ORBEM.  
BIBLIOGRAPHIA. (Pastó, Mir, Rojas).

Ordinarii atque Superiorum permissu

## Bibliographia

**Bione Cesare.** *Letteratura Greca.*  
La Nuova Italia-Editrice Firenze.  
Pag. 236.

Perinlustris Caesar Bione hoc suo «Sommario storico» magnum juven-  
tati praebuit adjumentum. Nam omnes  
qui de re litteraria ad usum juven-  
tis disserere munus sibi sumperant,  
non nisi synoptico fere modo rem per-  
tractaverant, quo mentes juvenum fa-  
tigabantur. Ille vero, «cum omne ferat  
punctum, qui miseraerit utile dulci»,  
quos fontes, quas discussiones criti-  
cas clam perpendit, adcurate obte-  
git, ea nempe ratione ut lector opinio-  
nibus criticis turbatus dulcedine mi-  
nime privetur, sed potius libro semel  
praelecto nonnisi aegre lectionem  
rumpere ferat. Quod magna ex parte  
obtinuit, quantum indoles operis lo-  
cum dabat. Si quis tamen memoriae  
juvandae causa synopses deside-  
ret, magno sibi emolumento erit bre-  
vis conspectus biographicus quem  
tractationi de praecipuo quoque scrip-  
to Auctor praemittit. Haec de forma.  
Quod ad selectionem materiae et his-  
toricum processum attinet omni ex  
parte laudandus nobis videtur Auctor;  
nam minime «in Scillam incidit dum  
vult vitare Carybdim. «Memor enim  
illius effati« leges ex factis non autem  
facta ex legibus eruuntur», leges ni-  
mias educere fugit, et momentum his-  
toricum praesens semper p[ro]ae oculis  
lectoris ponere studet ejusdemque in  
scriptorem influxum; non tamen liber-  
tas coactatur particulari in loco ar-

cendi scriptores quos extra influxum  
historicum vagantes invenerit.

**Grandgent, H.** «Introducción al Latín  
vulgar» Trad. de F. de B. Moll.  
1928, pag. 384.

Laudibus nostris non eget hoc  
erudiissimum opus clarissimi Profe-  
soris H. Grandgent in hispanicum  
sermonem a solertissimo F. de B. Moll  
translatum, cum adhuc in «Publica-  
ciones de la Revista de Filología es-  
pañola» post tot annos lapsu ab  
eius prima edición mereat computari.  
Merito certe; nam praeter claritatem  
et eruditionem quibus enitet, brevitate  
compendiosa lectori recentiores in-  
vestigationes obfert. Qui igitur rem  
linguisticam et philologiam habent in  
deliciis summō planu opus illud ac-  
ceptum habebunt; ad hoc enim opus  
tendit relationes vulgarem inter et  
classicum sermonem stabilire atque  
cum Romanicis linguis adfinitatem in  
medium adferre.

Operis corpus in quatuor dispe-  
citur partes: 1) Prima Vocabularium  
complectitur verborum vulgari et  
classico sermoni convenientium aut  
discrepantium; 2) Altera Syntaxim; 3)  
Tertia Phonologiam; 4) Quarta deni-  
que Morphologiam continet vernaculi  
propriam sermonis. Quibus F. de B.  
Moll appendicem in qua praecipuo-  
rum vulgaris Latinitatis documento-  
rum alia fragmentaria, integra vero  
alia injunx, quam quidem opor-  
tanissimam censemus, ac totius  
operis felicissimum complementum.

R. PASTÓ, C. M. F.

Annus Scholaris II. Num. 17 1931-1932 Mense Mayo a. MCMXXXII



## MENSTRUUS DE LATINITATE COMMENTARIUS

Premium subnotacionis annuae, solutione anteletta, est 6 pesetas in Hispania, 7 in America et Iuxitania, 8 in reliquis civitatibus. Premium mittatur, oportet ad Administratorem: CERVERA (Lérida) - Universidad - España.

### Populi Romani Indoles

Si Italiae solum peragraveris, Europae viridarium, statim haec tibi in mentem venient: sane gens ista somniatrix et exculta litterarum gloria atque artium perfussa sit oportet. Et ubi monumenta undequaque dispersa, quae tot ad se attrahunt prospectores mirabere, nullum animo dubium insidebit te rectissime judicasse. Quid autem si quemquam postea audieris, incultissimam Romanae antiquitatis historiam, Romanos barbaros, non excultos fuisse? Is tibi prorsus inludere velle videatur. Attamen rerum vices consideranti, luce manifestius adparret Romanas gentes non artibus, non scientiis, non eruditioni natas sed bello potius et armis; hanc eorum gloriam, hanc laudem fuisse clarissimam.

Brevis historiae conspectus haec omnia confirmat. Urbis enim initia, eorum confirmatio atque mirabile incrementum bellis sunt adquisita. Nam, ut communiter tradunt historici, locum, ubi Roma est condita, jam multum ante tempus Sabini aliaeve gentes occuparent, quibus debellatis postea Romulus Romuleumque genus in servitutem sive dominationem traditis, peculiarem aptavit constitucionem, miram ab Numa Pompilio in perfectionem adductam, Urbemque initio parvulam creberrimis sic auxit fortunatisque proeliis, ut Tar-

quinii Superbi temporibus Roma 600.000 incolarum multitudine frueretur, quae Romulo deceidente, 47.000 civium capita numerabat. Haec paululum in dissitas usque plagas gloria facta propagavit. Memoria recolamus insignes armorum triumphos, quibus est effectum ut Imperatorum aevo universus cognitus orbis sub ejus ditione insideret, 100.000.000 prope hominum.

Tunc Mare Mediterraneum, quod vere nostrum vocabant, erat, ut clarus auctor habet, quasi lacus immensus cuius ad ripas sub nutu Romae Principis urbum, potentissima natio requiescebat.

Romani jam inde a teneris annis bellorum amore imbuebantur, illas intentis auribus in Foro orationes audientes, quibus bellica praeclarissimorum civium gesta solebant enarrari. Damque avita severitas urbes pervasit, illud menti et cordi antiquius fuit atque profundius, minore, si quid noverint, in pretio litteras habentes. Quin immo si quando novatores aliis ex regionibus fortasse victis Romanam adpulsi, aliud vivendi genus invehere conarentur juvenesque ad se adcurrere cogerent edocendos, seniores, patriae caritatis amore commoti, ne quid docerent prohibuerunt: se nempe Romanos, non litteris sed avorum more claros armis esse debere. Pax in jugi rei militaris exercitio versabatur; pace turbata, sese bello dedebant, ambitioni magno obtemperantes opere. Quos illi in armis fuerint adsecuti triumphos, nemo non noverit.

Splendidissimus ille quidem super universum orbem dominatus quo inlustris Romanorum fama per saecula, aere perennior, in Annalibus Historiae Universalis insculpta ceruscabit!

Verum quispiam dixerit: omni porro antiquitati virtus et fama in bellis maxime existit, non ergo ea propria Romanorum indoles. Fateor illius temporis homines admodum fuisse bellicosos; alios ita pugnae amatores ut potius lupos aut leones quam homines diceres, videlicet Sparthanos et Gallos; alios marinis glorioiosores praelitis. Nullus autem populus bene est constitutus praeterea qui orbis ditionem obtinere confideret. Quod si Romani super alias tandem eminuerent gentes, huic certo indoli, qua donabantur, bellicae, maxime autem mirae constitutioni, indefessae patientiae atque constantiae patrioque amori adscribendum est. Non Graeci, non Poeni mundi dominatores evaserunt: neque enim illos puritas morum atque severitas ad opes adeo magnum incitabat. Contra ea, severae majorum consuetudini artificiosoque regimini obtemperantes Romani, militiamque omnibus et selectiorem et morigeratiorem possidentes, mundum subigere potuerunt. Immo ita eorum invaluit per orbem audaciae potentiaeque nomen ut in adagium commune haec verba reciperenrur: «Romanus sedendo vincit».

Qui Romanorum indolem strictim describamus, quaedam maxima certe auctoritatis testimonia praestat adferre: «Omnes mundi populos superior ille et audacior, simul et in consiliis prudentior et in coeptis constantior majoreque tum habilitate tum labore praeditus, majore denique patientia Populus praestitit Romanus. Ex hisce omnibus fortior militia resque publica cunctis aetatibus et providentior et firmior». <sup>(1)</sup> Praeclarus Gallicus historicus nuper laudatus, Victor Duruy, haec habet verba: «Poësis quidquam singulare est, neque pristinis Romanis per severam legum disciplinam atque majorum mores privati ingenii licuerant volatus. Ita factum ut in gentibus populus ille, extincto litterarum foco, ubi flamma patriae caritatis et magnorum consiliorum igniculus fovetur, ad summam regiminis fortunam ascendisset». <sup>(2)</sup>

Praeclarissimus Germaniae criticus, J. Bta. Weis sic loquitur: «Romanus homo politicis prorsus deditus est rebus; statui tantum inservit, quo si non inspiratur ab honoris statim morisque excelsitudine decidit: fit nequam voluptatis sectator aut vitam, poësi sive philosophiae leviter operam navando, transigit». <sup>(3)</sup>

Dulcissime hisce testmoniis Jünemannii verba consonant: «Populus Romanus austerus ac fortis, superbus et indomitus, profundo rerum agibilium sensu et modica phantasia, voluntate ferrea et mediocri ingenio non ad litteras atque scientias natus erat, sed ad rem publicam potius et arma; et ut esset, id quod revera fuit, audacior populus atque potentior, orbisque terrarum dominus et arbiter». <sup>(4)</sup>

Multo ante jam Cygnus Mantuanus more suo Romanorum indolem hisce versibus, quibus nos articulo finem imponimus, depinxit.

*Exudent alii spirantia mollius aera  
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus;  
Orabunt causas melius caelique meatus  
Desribent radio et surgentia sidera dicent.  
Tu regere imperio populos, Romane, memento;  
Hae tibi erunt artes pacisque inponere morem;  
Parcere subjectis et debellare superbos.* <sup>(5)</sup>

THOMAS M.º PLANAS, C. M. F.

(1) Bossuet, cit. a V. Duruy, *Historia de los Romanos*, t. 1.º, p. 159.—(2) Ibid. p. 305.—(3) *Historia Universal*. t. III, p. 629.—(4) *Historia de la Literatura*, 3.ª edic. p. 77.—(5) *Aeneis*, lib. IV, vers. 847, seqq. ex edit. Teubn.

## Particulae «Quin» varius usus

Cum certa vox variis significationibus sumitur, magnopere eas internoscere necesse est ut singulis locis, ubi inveniatur, suam reddat mentibus germanam expressionem. Quam ob rem particulam «quin» examini hodie subjiciemus, ejusque varios usus exemplis frequentibus confirmabimus ex classicis scriptoribus decerpitis, quae praceptoribus sint subsidio in discipulorum exercitationibus.

A) QUIN. — *qui non, quae non, quod non*, cet.

«Quin» loco pronominis relativi et negationis saepe invenimus cum oratio primaria fert negationem aut interrogationem, secundaria vero negationem:

*Exempla:* Ecquis fuit (qui non) quin lacrimaretur? Nunquam quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit (cui non) quin res, aetas, usus semper aliquid ad portet novi. Domi erant ut nullo modo introire possem (quem non) quin viderent. Nemo esset (qui non) quin hoc se audisse liquido diceret. Nemo nostrum est, ut opinor, (qui non) quin vota victoriae suae fecerit (qui non) quin optaret. Nam vestrarum nulla est (quae non) quin natum velit ducere uxorem. Quis tam imperitus, quis tam procul a litteris (qui non) quin sic incipiat. Quam multa sint vulnera quis est vestrum, judices (qui non) quin intellegat. Ut ne quis a me dies intermittatur (in quo non) quin dem ad te litteras. Nego ullam gemmam aut margaritam fuisse (quam non) quin quaesierit, inspexerit, abstulerit. De aqua et via nihil praetermis (quod non) quin enucleate ad te scribebam. Messanam nemo venit (quam non) quin viderit. Nihil est (quod non) quin male narrando possit depravari.

B) QUIN. — *ut non, ita ut non*.

«Quin» constituit crebro negantes orationes consecutivas (quas alii *ponderativas* vocant) ita ut non tantum sufficiat particulam *ut* et negationem, sed saepe etiam illam formulam suspensivam quam secum frequenter ferunt hujusmodi orationes: *sic, ita, adeo*, cet.

*Exempla:* Facere non possum (ita ut non) quin tibi gratias agam. Fieri nullo modo poterat (sic ut non) quin Cleomeni parceretur. Fieri nullo pacto potest (ita ut non) quin dicas quid non probes. Facere non possum (ita ut non) quin ad te mittam litteras. Quid recusare potest (ita ut non) quin et socii sibi consulant. Perpaucis ex hostium numero desideratis, (ita ut non) quin cuncti caperentur. Nulla re impediret (adeo ut non) quin, si vellem, possem. Ruere illa non possunt (adeo ut non) quin haec, eodem labefacta motu, concidant. Nemo est tam stultus (ut non) quin hoc intellegat. Non cades (ita ut non) quin cadam tecum. Ego vix teneor (adeo ut non) quin adcurram. Deesse mihi nolui (sic ut non) quin te admonerem. Romanis non humana ulla, neque divina obstant (ita ut non) quin socios amicos trahant, excendant. Crassus non cunctandum existimavit (adeo ut non) quin pugna decertaret. Numquam accedo (sic ut non) quin a te evadam doctior.

C) QUIN. — *quod non*.

Adhibetur etiam pro conjunctione «quod» explicativa aut etiam causal, negatione subsequente et interrogatione aut negatione praecedente:

**Exempla:** Illud cave dubites (quod non) quin ego omnia faciam quae interesse tua aut velle te existimem. Mirum (hoc quod non) quin te adversus dicat. Mirum (hoc quod non) quin tuum jus meo periculo abs te petam. Non est dubium (hoc quod non) quin totius Galliae plurimum Elvetii possent. Non (quod non) quin ipse dissentiam, sed quod.... (quod non) quin reddi responsum breviter potuerit. sed ut...

#### D) QUIN. —*id quod.*

Saepius adhuc particulam *quin* reperies *id quod* significantem, praecedente interrogacione aut negatione.

**Exempla:** Non dubito (*id quod*) quin eo-sis animo quo ego essem si quid tu me rogaras. Non dubium est (*id quod*) quin uxorem nolit filius. Non quod dubitaret (*id quod*) quin ab isto nihil legibus, nihil religionibus, nihil iure esset actum. Non enim judicabat Ceno (*id quod*) quin Areopagites invito Mennio impetrari non posset. Non dubito (*id quod*) quin me ames. Non recusamus (*id quod*) quin omnia patiamur. Non possumus (*id quod*) quin alii a vobis dissentiant recussare. Mihi dubium nunquam fuit (*id quod*) quin tibi essem carissimus. Non dubito (*id quod*) quin vobis satis fecerunt. Non dubito (*id quod*) quin offensionem neglegentiae vitare non possim. Dubita si potes (*id quod*) quin caedem facturus sit Antonius.

#### E) QUIN. —*cur non?*

Saepissime quidem in colloquis familiaribus et apud comicos, at non semel etiam apud graviores scriptores particula *quin* hac adparet interrogandi forma *tum directa cum indirecta*.

**Exempla:** Quin taces? Quin continet is vocem? Quin concendimus equos? Quid stas lapis; quin accipis? Quin potius pacem aeternam exercemus? Quin igitur ulciscimur Graeciam? Quin prodis, mi Spuri? Quin igitur expurgescimini? Quin animam hanc eripis? Quin huc ad vos venire propero? Quin tu aspicis ad te venientem Paulum patrem? Quin tu urges occasionem istam? Quin tu huc advolas? Numquid vis (scire) quin (por qué no) abeam? Numquid me vis, mater, intro quin (por qué no) eam? Nihil causae est quin (por qué) secus judicaret. Numquid causae est illico quin te in pistrinum dedam? Quid causae quin merito illis Juppiter ambas iratus buccas inflet? Quin mihi praesto fuit? Quia tu abis in malam pestem? Quin tu respondes? Quin ad fratrem imus? Quin mittimus ambages?

#### F) QUIN, QUIN ET, QUIN ETIAM, QUIN POTIUS, QUIN IMMO, QUIN CONTRA. —*immo, immo etiam, immo vero.*

Nihil dicam de quotidiano usu particulae *quin* in correctionibus, ut videlicet:

**Exempla:** Crebro, neque id injuria; quin (más aun) mihi molestum est. Te nec hortor, nec rogo ut domum redeas: quin (más aun) hinc ipse evolare cupio. His miraculis numquam ab ipso elusa fides est: quin potius (antes bien) aucta. Placuit sententia Caepionis, quin immo (más aun) consurgent ei adclamatum est. Credibile non est quantum scribam die, quin etiam (y aun) noctibus. Quin et (aun) Prometheus et Pellopis parens duci laborum decipitur somno. Nihil ea res animum militaris viri inminuit, quin contra (antes al contrario) plus spel nactus.

G) QUIN. — ejal, (eal.)

Id minus quidem invenies attamen bene latine dices particulam quin pro *eja* cum quis adhortatur, excitat, corrigit, urget:

*Exempla.* Quin (*jeal*), dic quid est. Quin (*bueno!*), age si quid habes. Quin (*bueno!*), attendite! Quin (*bien!*), tu allum quaeras cui centones sartias. Quin (*vamos!*) tu uno verbo dic quid est quod me velis. Quin (*bueno!*), nolo mentiare. Quin (*bueno!*), Pithias, tu me servato. Quin (*vamos!*), tu bono animo es. Quin (*bien!*), tu recte dicis, eadem ignorabitur. Quin (*bueno!*) certa res est hanc objurgare.

Emmanuel Jové, C. M. F.

## INTER SCHOLARES

- Sunt verba quorum supina vix aut ne vix quidem adhibentur. Qua tandem ratione ages cum ex necessitate credes, iis uti debere?
- Num timesr nescis per ignem incedere.
- Numquid hoc facies renuente lingua Latina?
- Nullo mudo.
- Quid igitur ages? Audiam libenter consilium tuum, quod de peritia tua spero suscipiendum fore.
- Id ego facio quod faciebant veteres. Cum verbum aliquod praeterito vel supino caret, pro eo verbum sumo sensu consimile, quod alterius egestati subveniat.
- Euge! Explica clarius rem, etenim placet.
- Exemplo videre licet. Habis verbum tueor; ne dicas in praeterito te tulitus sum, namque hoc parum est Latinum; dic potius: te sum tutatus.

— Recite capio. Alia numera verborum praeterita et supina, quae ab aliis sint substituenda.

— Ecce praecipua:

- Ferio percussi percussum
- Dissero disserui disputatum
- Dego egl actum
- Bibo bibi potum
- Parco pepercii temperatum
- Cano ceceni cantatum
- Fallo fefelli deceptum
- Arguo argui accusatum
- Coorguo coargui convictum
- Meto messem feci messum
- Furo insaniv
- Excello praestiti
- Posco poposci postulatum
- Fruor usus sum
- Irascor succensui
- Reminiscor recordatus sum
- Vescor vixi
- Tollo sustulli sublatum
- Est tibi gratia
- Quam Deo reddo et vale.

*Die tertio mensis Maii  
Romae Purpurali Patres  
Congregationem  
Generalem  
super miraculis habebunt.*



*Lectores nostros  
humanissimos  
de fortunato illius exitu  
certiores facere speramus  
postquam precibus a Deo  
id nos adjuverint adipisci.*

*Venerabilis Patris Antonii M. ae Claret  
nostrae Congregationis Fundatoris*

## CORDIUM CONCENTUS

*Aedes angelico magnificae Dei  
Concentu resonant: advolat ad sacram  
Aram Antonius, almi  
Sponsi tractus odoribus.*

*«Caelestem feriam – sic loquitur – quoque  
Indignus citharam, quam Seraphim vibrant  
«Excelsa, atque beatum  
«Altum laetificat polum.*

*«Est, Jesu, peramans haecine Cor tuum,  
«Quod roris Superos harmoniae replet:  
«Indoctus citharaedus  
«Ardor cordis erit mei.*

*«Concentus placidos an meruit tibi  
«Obturatus homo percipere auribus?  
«Cur sic ut paradisum  
«Infaustum exilium beas?*

*«Quae Sanctos hilaras et simul exules,  
«O blandam citharam, cui sonus unicus  
«Unâ dulcis amoris  
«Chordâ redditus aureâ!*

*«Unus, Christe, mea sit quoque dissonae:  
«Ambea convenient, obsecro, vocibus:  
«Tu me diligis usque,  
«Te pectus redamet meum».*

*O quam dulcisonos cum Seraphim Claret  
Gratos concinuit caelitibus modos!  
Fit Antonii, Iesu,  
Sedes cor Tibi amabilis.*

*Raimundus RIBERA, C. M. F.*

## Palaestricus Ephebis Suis

*Fabeliam latinam mus et Feles plures in Hispanam linguam accuratissime verterunt ut F. Vega, F. F. García, R. Hernández, A. Balcells, cet., sed alias omnes vincere translationes visa est ea quam nobis obtulit Casajús. Credo fore ut de sedula translationis cura lectores mecum sentiant.*

Plus difficultatis invenerunt pueri qui Latinae consuetudini reddere voluerunt «El enfermo y el médico». Fere omnes sapore carebant Latino, quamvis grammaticae satis essent compositae. Conatus tamen experimur cottidie diligentiores atque fructus minime paenitendos. Agite porro, adulescentes optimi!

### Aeger et medicus

Cum ab aegro medicus quaequivisset quomodo haberet, se illa nocte sudore admodum maduisse respondit. Cui medicus: «Bonum signum». Iterum aeger interrogatus quomodo valeret. «Frigore inquit, correptus concussusque sum magnopere». Ad quod medicus: «Bonum quoque signum». Tertium medicus ab aegro sciscitus quomodo haberet: «Aqua intercus-inquit-me occupavit». Cui etiam medicus: «Bonum hoc signum». Cum tandem paucis post diebus unus ex amicis ab illo inquireret quomodo valeret: «Puto me valentissimum mori».

Haec fabula nos admonet eos omnium magis esse execrando qui loqui semper volunt ad ineundam gratiam.

MARTINUS SOLAESA

### NOTULAE

(1) *Quaequivisset, non quaereret* quamvis enim gerundium praesentis audiatur hispane, revera est gerundium praeteriti et quidem plusquam perfecti, ut videre licet ex comparatione cum *respondit*; ratione dependentiae cum verbo primariae ponitur in conjunctivo. (2) Subauditur *se*, quod saepe relinquitur in

hac et aliis locutionibus ut: Terentia minus belle (*se*) habuit; jam (*se*) verterat fortuna; Nilus precipitat (*se*) ex altissimis montibus; mores populi (*se*) mutaverunt; imber per totam noctem (*se*) tenuit; aestus minuit (*se*); abstinuit (*se*) venere et vino. (3) Lingua Latina studet compendio, ideo, ceteris paribus, melius dicit qui dicit brevius. (4) *Iterum* non *secundum* (por segunda vez). (5) *Inquit* non ait, quod cum infinito fere semper construitur et significat *adserere*. (6) *Post* est hic adverbium, idem ac *postea*: si praecederet, ut praepositio sumetur, atque esset *post paucos dies*. (7) *Valentissimum* non *optimum*; id mores, illud valetudinem refert.

### El ratón y el gato

*Guárdate de injuriar a alguno principalmente cuando te encuentras con otro más poderoso.* Un ratoncillo hebiase elegido y tenía para si una arca llena de muchos comestibles. Si de improviso surgía en casa algún ruido, al punto deslizábase hacia el último rincón; y solía evitar con la fuga los ojos de la señora cuando ésta se acercaba al arca. De esta manera día tras día fué perdiendo más el miedo y comenzó a alejarse del arca temerariamente. Mas oyendo un día de cerca la voz del gato con dificultad se ocultó amedrentado en sus conocidos escondrijos. Sin embargo recobrado el aliento cayó en un mal peor. Desde las rendijas del arca injurió al gato que estaba delante y éste mirando al atrevidillo, dijo: No me ofendes tú con tus injurias, sino el lugar. Disimulando una retirada tramó insidias de muerte. El ratón encontrado luego por el gato se escapó, pero de improviso cayó bajo el ímpetu de éste, que engréido habló así al miserable: Ahora despedazado entre mis uñas puedes insultarme.

JOSEPHUS CASAJÚS

# EXERCITATIONES SCHOLARES

## Vulpes et Angues

Certamen inter angues ferrebat duos  
 Et nex alterutrum jam manebat proxime.  
 Tertius accedit, et querellas callide  
 Potest dirimere et pacatos relinquere.  
 Vulpes latebat haud longe, rei exitum  
 Opperiens (1) curiose; quae pacis modo  
 Initae sequestrum (2) istis compellat vocibus;  
 Non poteras bestiarum par vafermissimum (3)  
 Componere pace, nisi valde antecelleres  
 Nequitia mentis et factorum astutia.  
 Scelestos vera nusquam prosequitur fides (4).

L. ROCCI, S. J.



## Un ladrón y su madre

Habiendo un niño robado en la escuela (5) las tablillas (6) de un su condiscípulo las llevó a su madre, la cual, lejos de reprenderle, alabó su acción. Pasaron los años, y el niño, hecho muchacho (7), comenzó a robar mayores cosas. Sorprendido por fin en un robo fué llevado al suplicio atado de pies y manos.

La madre entre tanto le seguía llorosa (8). El hijo pidió a los lictores que le dejaran decir unas palabras a la oreja de su madre. Llegase la madre al punto y acerca la oreja a la boca de su hijo, el cual cogiéndosela al momento (9) con los dientes, la arrancó de un mordisco (10). Entonces, como no sólo la madre exclama-

ra que su hijo había cometido un gran delito sinó que además le reclinaron todos de que, no contento con los anteriores crímenes, había sido despiadado con su propia madre, respondió el hijo: «Ella misma, mi misma madre, ha sido la causa de mi muerte: pues si cuando le llevé las tablillas que había quitado a mi condiscípulo, me hubiera castigado (12) no hubiera pasado adelante con mis robos, ni sería ahora conducido al suplicio».

Esta fábula demuestra (13) que si no se ataja (14) el mal en sus principios crece cada día más y más.

## Salutationes peraenigmatae

1. Mitto tibi lunam, solem simul et canis iram,  
Quae reddas a te, tu mihi, amice, precor.
2. Mitto tibi navem prora puppique carentem.
3. Mitto metulas; si vis cognoscere vertas.

(1) Opperior, iri=aguardar;—(2) sequester, i=juez, árbitro;—(3) vafermissimus: bellaco, rufín;—(4) verdad, lealtad.—(5) Litterarius ludus;—(6) tabella, ae;—(7) adulescens;—(8) gemebundus, a, um;—(9) exemplo;—(10) morsu devellere;—(11) nex, ecis;—(12) poena afficere;—(13) significare;—(14) obstare.

## Aegidius Forcellinius

Aegidius Forcellinius, Italicae gentis decus et ornamentum, Latinarum litterarum summus et magister et fautor, immortalitate profecto dignissimus, VII Kal. septembres anni milesimi sexcentesimi octogesimi octavi in vico, cui nomen «Campus S. Uladorici», primum vitae lumen adspexit. Magna quidem diligentia et profectu prima litterarum rudimenta, grammaticam, et alias, ad Ecclesiae munia rite fungenda, necessarias disciplinas in Seminario Patavino, sacra litterarum arce, adripuit. Jam tunc praeter ceteros et studio et amore erga Latinum sermonem mirabilis exstitit. Ea autem tempestate lexicon «Calepinus septem linguarum» inter summa Latinitatis vocabularia habebatur eratque «sacra studiorum ancora, ad quam confugiebant, qui in Latina lingua se exercere volebant». <sup>(1)</sup> Haec de eodem lexico Facciolatus: <sup>(2)</sup> «Laudandus hominis conatus, qui omnium ante se famam obscuravit, solusque grammaticas scholas tenuit. Auctus subinde a multis est, iterumque ac saepius editus; jamque ita creverat, praesertim Passaretii sive opera, sive nomine, ut vix quidpiam ad hoc studii genus addi posse videretur.» At nasutioribus interea fumam non vendidit; non enim sine sale observabat vir doctissimus: Bonus ille Calepinus totiens coctus et recocitus parum sapit. <sup>(3)</sup> Sicque ipse Facciolatus cum «Patavini Seminarii scholis praefectus excutere illum coepisset, et palam profleri velle se milia multa expellere, quae barbara essent, atque alia sufficere, crabones excitavit», <sup>(4)</sup> a quorum aculeis se liberavit, cum, adjuncto sibi socio Forcellinio, alumno: tunc ejusdem Seminarii, rei manus admovit ac Calepinum et auxit et perpolivit; invidiam itaque extinxit. Nec his contentus, novum adgredi opus arbitratus est, totius sc. Latinitatis lexicon condere, ejusdem adhibita Forcellini opera, qui quidem jam hujus rei summa erat doctrina excultus. «Vixque tamen ille in plerasque litteras quidpiam contulit praeter consilium, princeps hujus conditor operis atque adeo unus Forcellinius est». <sup>(5)</sup> At Aegidius, lexicographorum princeps, summis ornatus virtutibus ad lexicon conficiendum sese adinxit; nam «fuis in illo ingenium, litterae, cura, cogitatio, diligentia; erat ille Romanarum rerum scientissimus, et earum artium quae Latinis olim placuerant, rudimenta adripuerat; graece doctus; <sup>(6)</sup> in veterum Latinorum libris versatus, volutatus. Is, itaque, de Aegidio Forcellinio optime judicabit qui per annos ferme quinquaginta idem saxum volvens, opus hoc, in quo Latinae voces omnes ac multiplices earum significationes atque usus continetur, lucubravit. <sup>(7)</sup> Ut opus suum adcuratius conficeret cum non nullis totius antiquitatis eruditissimis viris plurimum conlocutus est; sex aut septem inscriptorum lapidum conlectiones et nomismata vetera ex quibus plura excerptis vocabula, attente percucurrit. Adcuratiorem, ut eo tempore credebatur, secutus est ortographiae rationem; vocabulis, si quando praesto et probabilis esset, notatio seu etymologia adjunxit; in adferendis auctorum locis in proprio auc-

(1) Marhofius, adlatus a Cognolato, Praef. ad Lex. Forcel. I.—(2) Epist. ad Jos. Lastam. Cf. Initium Lex. Forcel.—(3) Praef. ad Stephan. Thesaur.—(4)—Epist. ad Jos. Lastam.—(5) Epist. ad Jos. Lastam.—(6) R<sup>t</sup> Graecum (lexicon), aliqua mea manus usus, plurima vero aliorum, quos longe major doctrina commendabat... auxit et adornavit (Facciolatus) (Forc. Praef. ad Lex.)—(7) Cognolatus, Praef. ad Lex. I.

toris opere suismet oculis auctoritas perspexit, et illae hujusmodi sunt in toto opere praestantes virtutes quae quidem facile legentium animis occurant.

Supremam lexico inpositum manum anno milesimo septingentesimo quinquagesimo secundo; et recte quidem fateri valuit: «Latina sum persecutus quanta maxima diligentia potui: in hoc unum industriam, vires, tempus conlocavi: adulescens manum admovi, senex dum perficerem, factus sum»; itaque sicut Romanus Vates, «quem Melpomene semel nascentem placido lumine vidit», gloriae cupiditate fretus ad propriam nominis memoriam consecrandam sublime protulit carmen, pariter et ipse Forcellinius concinere potuisse:

*Exegi monumentum aere perennius,  
Regalique situ pyramidum altius,  
Quod non imber edax, non aquilo inpotens  
Possit diruere aut innumerabilis  
Annorum series et fuga temporum.* <sup>(2)</sup>

Simul ac Forcellinianum lexicon in litterarum palaestra adparuit magnis undique laudibus auctorem excipere, eunque Latinarum litterarum lexicographorum principem appellare. Magni praesertim tantum opus fecerant Itali, Angli et Germani, ut ex editionibus apud eosdem in medium prolatis efficitur; Transalpinis tamen non omnibus placuit. — Et quia non omnibus numeris absolutum erat plurimae in sequentibus editionibus factae sunt emendationes, additiones sive in verbis sive in etymologiis sive in variis vocabulorum notiobibus, significationibus, usibus.

Hoc eximum Latinitatis opus apud Italos retractaron: et locupletarunt Facciolatus, Corradinus et Perinus qui et Lexico addidit locupletissimum Onomasticon. Apud Germanos editio quae majore viget fama et auctoritate De-Vit viro ingenio et doctrina praestantissimo debetur. Cum tot tantique viri summa eruditione et doctrina in Latinis litteris et Romanorum rebus excelsi Forcellinianum opus cottidianę manu versaverint, ad summum perfectionis, quantum res humanae patiuntur, adduxerunt. Hic fuit postea fons inlimis unde primores Latinitatis suam hauserunt doctrinam; hic unde exordium sumpserunt plurima in campo Latinitatis studia, hic denique, quo lexicographi omnes, vocabularia concinnandi gratia convenerunt.

Postremum tandem, (ut ab eo finiamus a quo initium factum est) suscipere funebrem Forcellinii flosculum: Omnibus flebilis sanctissime oblit pridie nonas aprilis anni milesimi septingentesimi sexagesimi octavi. In illius autem tumulo inscribi certe potuisset quod quidam ejusdem typographus citius perspexi: «Eritque bonis doctisque viris inlustre nomen». Nam cum litterarum studio eos conjunxit mores ad quos formandoe inventae sunt ipsae litterae.

Josephus M.<sup>o</sup> MIR, C. M. F.

(1) Praef. ad Lex. VI. — (2) Horat Car. III, 30.

## Nemausum Civitas

Congressus qui nuper est habitus Neumasi a Societate Guillaume Budé ordinatus ut quidquam de ea civitate, deque gestis atque ejus historia praeceilenti lectoribus dicamus nobis persuadet.

Pars illa Galliae a Romanis expugnata; idque tempore Augusti, quae Languedocum comprehendebat et Provinciam (Provenza), provincia Narbonensis appellata fuit, Anno 381 ex hac Narbonensi factae sunt duae provinciae, Languedocum, scilicet, cuius caput Tolosa erat, et Provincia cuius caput Aquae Sextiae (Aix.)

Haud dubium inter Galliae provincias glebae pinguedine, frugum feracitate locorum pulcritudine eminet Languedocum. Ab ortu solis Rodanum a meridie mare mediterraneum montesque Pyrenaeos limites habes; ab occasu Garumnam; et a septentrione fluvios cum plures. In hac, igitur, antiquissima provincia sedet Nemausum.

Jam ante Julii Caesaris expugnationem plures floruerunt civitates Tolosa, Avenio, Narbo, Neumausum atque non paucae quae a Romanis ditatae fuerunt atque monumentis exornatae.

Neumasensis urbs, uti referunt, a Nemauso, Herculis filio conditum, Romanorum tempore pulcherrima extitit Volscorumque caput anno circiter 122 a. J. C.

Totius provinciae Narbonensis caput quoque initio fuit licet paulo post honorem atque primas Narboni concessit civitati. Nemausum quae colonia erat Romana, ab imperatoribus Augusto praesertim et Antoninis, maximo in pretio habita magnificis exornata monumentis atque honoribus cumulata fuit, adeo ut quibusdam temporibus secunda extiterit Roma... Quanto igitur, affectu eam imperatores prosecuti fuerint, colligi potest ex tot veteribus venerandae antiquitatis monomentis, aedificiis, pontibus, amphitheatris, fontibus, aquae ductibus, sepulcris quae nullis bellorum cladibus deleri penitus valuerunt.

Reipublicae Romanae imperatorem, eumque praeclarissimum, nempe Antonium generat haec nostra civitas. Italiacas urbes, si excipias, nulla ex europaeis Neumasum, antiquissimam civitatem, monumentis vincit veteribus aut superat

Altua enumeremus. Amphitheatum ovalis figurae saeculi II opus, quod vulgo «Arenae» vocatur, 470 passus ambitu amplectitur. Ibi plurima spectatorum oculis obseruent rara: illa, nimurum. Lupa quae Remo atque Romulo ubera praebuat et qui ilisdem in faustum eventum augurium dicuntur paruisse vultures; Martis campus in alios usus conversus; Aditum in interiorum amphitheatrum quattuor magnae portae visentibus patefaciunt. Praebetur quoque Capitolum, figurae triangularis, senis in fronte decoratum columnis ac denis unoquoque ex latere.

Scientias apud Nemausenses viguisse uberrimas testis est quidam Pegasus hac inscriptione: «Procul este profani» bonarum, scilicet, litterarum non periti.

Extra civitatis muros priisci Vestae aut Diana templi ruinae adhuc conspicuntur. Sunt et aliae urbis hujus praestantiae, aedes magnificae, castellum regium thermae Romanae, Palatium Praesidis, specus atque fontes, mirae artis et industria ac tandem amoena viridaria ubi omnis generis topiaria et innumera hortorum oblectamenta animos gratissime juvant.

Hodierna nostra aetate Nemausum Praefectus (departamento) Gardensis tractus (distrito) est ubi Provinciae Praefectus atque dioecesis Episcopus commorantur. Litterarum studiosi bibliothecam 90.000 voluminibus locupletatam, perpulcram Cathedralem atque Musaeum optimorum auctorum tabulia decoratum resurgent perlustranda.

Merito, ut diximus, Neumasensis civitas ad classicarum litterarum congressum constituta est: in ea, enim, monumenta antiqua vivunt atque scientiae avidis ore loquuntur potenti. — M. LÓPEZ

## PRAXITELES

Fictorum ars et disciplina tertia post Phidiam aetate in dies processit excultior, fota a summis et perfectissimis viris, Praxitele nempe et Scopa; qui quidem mirabiles certe exsisterant, animo tamen, ingenio, operibus non pares.

Praxiteles saeculo IV fuit a. Ch.; ac licet tempora incerta maneant, illud quidem in aperio est anno 360 a. Ch. jam nobilis existisse sculptor et clarus apud omnes. Athenis, ubi natus erat, maxime floruit, et, cum in honestata officina majorum laboraret, ut suum nomen immortalitate consecraret satagere sibi opus non fuit; nam adulescens sarta tectaque finxerat opera. Suavis atque idem elegans artis excultor, pulcris rapitur formis, venustatisque flagrans amore nullo fere labore et ex tempore pulcherrima fundit articia. Praestantissimo quodam praeditus ingenio, veterem fere Raphaëlem appellaveris.

Praecipua illius opera memoriae prodita sunt: Proserpineae raptus, Cupido, Satyrus, Venus Cnidia et Mercurius; postrema et fama et auctoritate apud omnes vigent. «Satyrum», e marmore Pario, plorans Romanorum artifices exscripserant; translatio in Museo Capitolino adservata proplus ad germanum auctoris opus accedere videtur. Adulescentem fingit, quem artificiose exprimit, stipite molliter innixum, cruribus decussatis, bracchio in coxa remisso; justam sane et aequatam hominis imaginem segnitiei dedit. Ut differt ab illa jamdiu nobilitata Doryphori statua aetate superiore perfecta, genuina pulcritudinis forma facile aestimata! Tota corporis figura et conformatio contemplantis animo teres adparet. Nalias eminens sive protractus corporis musculus. Pectus, incurvata eaque concinna induitur pelle; sed quod oculis magis objicitur, est caput: adumbrata paene in oculis et ore animantis figura, forma tamen humana; illius quasi obnabilatus obtutus sponte indolem patefit: mens naturali instinctu subiecta...

«Venus Cnidia», summis etiam celebrata laudibus, quam exprimit e balneo exeuntem; prope unguentorum urceolus; pallaque plicata qua induatur. Nullibi proprium exstat auctoris opus, translatio adcuratius reddit in Museo Vaticano cerni licet. Caput perpalcrum sane ac tota corporis figura perfecta undique.

«Mercurius» e nativis eximiis Praxitelis operibus, quam et vetustas religiosus posteritati commendavit est artificiosa Mercurii statua, infantem Bacchom ferentis. Laevo bracchio infantem Mercurius sustentat, dum dextra manu, nunc mutilla, ovarum racemum monstrat quem infans attingere affectat. Opus denique expletum; admirabili quadam perfectione excitati rapiuntur qui mirabile corpus adspiciunt.



PHIDIACUS

## Conloquium inter amicos

RAIMUNDUS ET FRANCISCUS

- R.—*Quid, hercule, interventūs, amice! Tale numquam autumaram! Ut res domi habet?*
- F.—*Jucundissime prorsus, Raimunde. Atque tu, quomodo vales?*
- R.—*Mediocriter, quod fit plerumque, amice.*
- F.—*Anne illic vos adhuc commoramini loci..!*
- R.—*Ibi scilicet, Francisce, ad hunc ipsum diem.*
- F.—*Atqui tellus illa est valde salubris et valitudini propitia!*
- R.—*Certe id quidem... ast oppidulum tandem illud est, neque ei vivendi rationi, si verum dicam, adsuescere valeo.*
- F.—*Calleo, amicel! Ideoque, te ut consolaris, digressiones identidem Matritum usque conficis...*
- R.—*Quidni, cum prope adeo simus? Duas, ut plurimum trahaculi horas...*
- F.—*Bene, bene habet! Quam vero es in memoria nostrorum! Paulus saepe et multum me interrogat: vidistine hac Raimundum et Stephanum, amicos jucundissimos? Quam ego eorum maxime praesentia laetarer..!*
- R.—*Evidem et eorum recordatione me perquam delector!*
- F.—*Si verum dicam, Raimunde, maxime vos fuistis prudentes, qui insuavem plane urbium conmotionem fugientes, in solitariam vos terrae partem recepistis. Ultimam et ego eodem agere pacto possum!*
- R.—*Fateor aperte, amice; vitae ratio tranquillior est atque salubrior; ego autem insigniter ibi taedia conficior...*
- F.—*Causam equidem video nullam! Salubri enim vita atque ea tranquilla, quid esse potest jucundius?*
- R.—*At eadem tibi gens semper est, eadem ambulacra, iidem consessus, iisque simi-*

RAMÓN Y FRANCISCO

- R.—¡Hola, amigo, qué entrevista más casual! ¡Nunca lo habría pensado! Y ¿cómo va en tu casa?
- F.—Muy bien, Ramón. Y tú, ¿cómo estás?
- R.—Medianito como siempre, amigo.
- F.—¿No moráis aún en aquel mismo lugar?
- R.—Allí mismo, Francisco, hasta el día de hoy.
- F.—¡Pues aquella tierra es muy saludable y propicia para la salud!
- R.—Ciento... pero al fin y al cabo es un pueblecito y, a decir verdad, no puedo avenirme con aquel modo de vivir.
- F.—¡Ya entiendo! Y por esto, para consolarte, te dejas caer de tanto en tanto en Madrid...
- R.—Y ¿por qué no, estando tan cercanos? A lo más dos horas de tren...
- F.—¡Bien, bien, amigo! Y ¡cuánto nos acordamos de tí! Pablo con frecuencia me pregunta insistente: ¿Has visto por aquí a nuestro amigo Ramón y a Esteban? ¡Cuánto me alegraría yo de verlos...
- R.—¡También yo me recreo mucho con su grato recuerdo!
- F.—A decir verdad, Ramón, vosotros habéis sido muy prudentes, que dejando el molesto ruido de la ciudad os habéis retirado a un rincón de la tierra. ¡Ojalá pudiera yo también hacer lo mismo!
- R.—Lo confieso sencillamente, amigo del alma: la vida es más tranquila y sana; con todo, yo me aburro allí de medio a medio ..
- F.—¡No veo por qué! Pues ¿qué puede haber más dulce que una vida sana y tranquila?
- R.—Pero siempre hay la misma compañía, los mismos paseos, las mismas

*libus cum thematis atque susurris...  
Omnia parilia, omnia numquam non  
aequalia..! Quis, amabo, omnium haec  
non fastidiat?*

F.—*At vos e contrario, amice, decem ipsas  
utrumvis in oculum dormitis horas;  
nullo illimes ac suaves auras carpitis  
negotio; laute in oppidis vos estis, idque  
pretio, quam in civitate, commodiore...*

R.—*Vera cantas, amice; at etiam nos ad  
regulam manducamus: namque in op-  
pidulis rem quoque magni penduntur.  
In fabulis jam es illa, mihi crede, apud  
ruricolas celebrata facilitas annonae,  
non aliter atque innocentia, candor,  
aviti mores... Quod autem altitudines  
istas vel paludismus attingat, eritne tibi  
mirum?*

F.—*Omnia quidem fert aetas, amicorum  
optime..! En vero tibi nos inter medi-  
tatio...*

R.—*Ita enim vero, sed de re admodum  
tristil!*

F.—*Papae, constituit jam trahaculum, atque  
in Magna-via versamur. Hic ego con-  
sisto.*

R.—*Grates habeo ob dulce conloquium,  
Francisce, et valeto multum.*

F.—*Tuque meditationibus tristibus ne abu-  
teris; est bene beateque aetas agenda,  
bone. Vale.*

R.—*Atque tu, amice, ede parvo, molliter  
dormi, meliusque respira.*

P. PHILOPONUS

reuniones con los mismos temas y  
parloteos... Todo es semejante, todo  
es siempre igual... Y ¿a quién no fas-  
tidiará todo esto?

F.—*Pero en cambio vosotros, amigo,  
dormís vuestras diez horas a pierna  
suelta; respiráis a todo placer el aire  
fresco y regalado; y en los pueblos  
coméis bien y a precio más módico  
que no en la ciudad...*

R.—*Así es, amigo; pero también nos-  
otros comemos regularmente; que  
también en los pueblecitos van caras  
las subsistencias. Es ya cosa de fá-  
bulas, créeme, la facilidad de la vida  
rural, lo mismo que la inocencia, el  
candor, las costumbres patriarcales..  
¿Te extrañará que aún el paludismo  
llegue hasta estas alturas?*

F.—*¡En verdad que el tiempo lo cambia  
todo, amigo del alma..! Y hete aquí  
una meditación en toda regla...*

R.—*Así es, ¡pero meditación de tristes  
realidades!*

F.—*Caramba, paró ya el tren y nos en-  
contramos en la Gran-vía! Aquí me  
quedo.*

R.—*Gracias por tu grata compañía,  
Francisco, y adiós.*

F.—*Y tú no te entregues demasiado a  
tristes meditaciones; la vida hay que  
pasarla alegremente, amigo. Adiós.*

R.—*Y tú come barato, duerme bien y  
respira mejor.*

## Per orbem

### Comitia Nemausi frequentissima

Comitia primum a Societate Gulliel-  
mi Budé Nemausi in Gallia praeordina-  
ta, frequenti contione percurserunt et IV  
Nonas aprilis sunt optimo exitu conclu-  
sa. Cum vero eo maxime comitia inten-  
derent ut fructus classicarum litterarum  
in Societate magis in dies ad crescerent,  
ipsae vero Graecae litterae atque Latinae  
in melius gradatim proficerentur, longe  
lateque diffunderentur: ea omnibus im-

primis Budeanae Societatis membris pa-  
tebant, quibus aliarum adjuncti sunt litterarum  
scientiarumque Academiarum socii. Alii quoque nominatim sunt vocati,  
viri scientia atque ingenio praestan-  
tores, lique etiam consociati sunt quo-  
rum preces benigne sunt acceptae. Itaque  
omnium concursu, consiliis, studiis mag-  
nopere litteras classicas progressuras  
putamus.

Sed antequam ultra procedo, mea interest gratias quam maximas a nostro moderatore referre Dno. Johanni Malye, qui Patrem Emmanuel Jové amicissime ad comitia invitaverat, cui tamen variarum ob rerum negotia, ut res se habebat, adeundi caruit facultate. Comitia III Kal. apriles incopta per quattuor dies prosecuta sunt; neque vero otio vel taedio locus fuit: etenim comitiorum moderatores illud Horati in mentem revocantes

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,* ita ea ordinare curarunt ut dum animi mane in litterariis academis lassi redderentur, iisdem sera scientificae per urbes peregrinationes oblectamentum adferrent. Qua ergo ratione Academiae littorariae constitutae sint videamus.

Academiae numero quinque singulis diebus per tres horas aperiebantur, ab hora videlicet nona ad duodecimam, in quibus de classicis litteris erudite viri clarissimi disserebant. Jam vero ipsi Academiarum programmata prospicite.

**I Academia Philologica.**—PRAEFECTI: *Dni. A. M. Desrousseaux et A. Ernout.* TABULARII: *Dni. A. Dain et J. Bayet.* —RELATORES: 1) *Dnus. Dain:* De ratione edendi textus classicos. 2) *Dnus. Faider:* Quomodo scientia philologica his temporibus se habeat; quid ante, quid postea agendum sit. 3) *Dnus. Chantaine:* De philologicā scientia et linguis-tica.

**II Archaeologiae artiumque Academia.**—PRAEFECTI: *Dni. A. Grenier et Ch. Picard.* TABULARII: *Dni. E. Albertini et R. Demangel.* RELATORES: 1) *Dnus. Demangel:* De archaeologia Graeca in Gallia. 2) *Dnus. P. Coussin:* De archaeologia Romana in Gallia. 3) Excavationum recentium notitia.

**III Academia de classicis litteris inter gentes promovendis.**—PRAEFECTI: *Dni. J. Bidez, A. Meillet, M. Vendryes* (substitutus). TABULARIUS: *Dnus. Fohalle.* RELATORES: 1) *Dnus. Bidez:* Qua ratione textus classicos edere oporteat seu disquisitio ad hoc ut in editio-

nibus majoris momenti Latinorum Graecorum vetextuum omnes inter se scriptores in usu signorum criticorum atque in apparatus redactione concordent. 2) *Dnus. Marouzeau:* Inquisitionum scientificarum notitia, bibliographia, excavations, inventa, opera adgressa. 3. *Dnus. Samaran:* De convenientia coadunandi omnium studia ad classicas litteras promovendas, ita ut manuscripta facile mutua dentur, documenta photopicta comoden-tur, cet.

**IV Academia de ratione instituendi.**—PRAEFECTI: *Dni. H. Bernès et E. Legrand.* TABULARIUS: *Dnus. M. Lacroix.* RELATORES: 1) *Dnus. Bernès:* De magistris ad medium institutionem in litteris classicis informandis. 2) *Dnus. P. Walz:* De Graecis litteris in media institu-tione. 3. *Dnus. M. Lacroix:* Qua ratio-ne magistri infimae institutionis de litteris humanis edocendi sint.

**V Academia de humanismo.**—PRAEFECTI: *Dni. G. Davy et A. Thibau-det.* TABULARII: *Dnus. E. Leroux et J. Thomas.* RELATORES: 1) *Dnus. E. Leroux:* Humanismi notio, origo, sensus, ambitus. 2) *Dnus. J. Thomas:* De classico humanismo in hodiernis temporibus.

Una cum Academis hora undecima singularis patebat officina, in qua, quid-quid ad Budeanae Societatis perfectio-nem et incrementum pertineret, propone-batur. Praeterea diebus martis et veneris clarissimi *Carcopino* et *Valery* de Roma et Graecia vicissim contionati sunt.

Quid jam de scientificis peregrinatio-nibus seu excursionibus?—Ea sunt ratio-ne constituta ut paucissimis comitiorum diebus, quae Nemausii aliquique in urbibus proximioribus praecipua continentur monimenta, optime recognoscere liceret. Itaque III KAL. APRILES *Nemausum* socii advenientes a *Dno. Espérandieu* et aliis «*Antiqui Gymnasii*» viris eximiis per ur-bem comitati sunt et demum a Magistris solemniter recepti. Deinde PRIDIE KAL. APRIL. *Avenionem* automobili ex-curso facta est: ibi receptio solemnis aditusque in regiam aulam Pontificum.

*Villae Villeneuve, Rochedort, Pont-du-Gard, ubi Dnus. Espérancieu contionem habuit, visitatae sunt. KAL. APRILIBUS Excursio in Beaucaire, Tarasconem, Saint Remy, Baux, Mont-Majour, Saint-Gilles.* POSTRIDIE KAL. APRIL: Excursio in Aquas Mortuas, Saintes-Maries de la Mer, Arelate ubi civitatis praefecti peregrinis valedixerunt. TERTIO NONAS APRIL: Aliae peractae sunt excursiones in regiones quas vocant Mireille et Camisards.

Nihil ergo restat nisi Comitiorum ordinatores optimis prosequi laudibus et gratulationibus ob praestantissimum in litteras classicas hoc studii signum.

J. D

---

**Domenico Bassi, Quintiliano A. F.**  
Formiggini, Romae, 1929, p. 78.

Breviter enarrata M. Fabii Quintilianni vita, subtilius de praestantissima «Institutione Oratoria» disserit hujus opusculi auctor; quam subinde commentariis inlustrat et Taciti sententiis in Dialogo de Oratoribus confirmat. Lectorum mentibus tamquam eruditior ac moderator summus juventutis subjicitur Fabius, et qua ratione adulescentulum jam a prima aetate ducat, illumque omnibus litterarum praeceptis et eloquentiae pedetendim erudit, usque dum in «virum bonum dicendi peritum» deveniat, luculunter ostendit. Aetatem qua «Institutio Oratoria» conscripta sit (nam fuit ea qua judicij sanitas corrupta est, litteraeque Latinae inclinatae jam sunt); celebritatem Senecae haud de omnibus recte meritam, in eloquendo praesertim, honorem denique quo apud omnes sive veteres sive recentiores juventutis moderatores et eloquentiae excultores habitus est Fabius Quintilianus, non minore studio significat auctor. Ob dicendi genus planum atque simplex his maxime emolumento oposculum arbitramur, qui «Institutionem Oratoriā» legunt, ad eam enim tam-

quam introductionem opus recte existimabis.

**N. Terzaghi, Oracio, edit. A. F. Formiggini, Romae.**

Urum est ex opusculis monographicis quae numero plus quam 100 typis ad unguem expressis A. F. Formiggini Romae mandavit; monographiam, inquam, non biographiam Venusini Vatis sibi auctor suscepit describendam, itaque ratione posthabita atque methodo quae in biographiis observari necesse est, auctor N. Terzaghi unitatem in primis ad magnitudinem poeticae Horatii indolis ostendere conatur, vestigiis aliis premens in lyrica quam in satyrico et epistolari carmine.

**Sallmann A. F. Aus dem Nachtleben antiker Göttergestalten, Dieterichische Verlagsbuchhandlung in Leipzig, 1891. P. XVI, 484, Mit 12 Bildtafeln.**

Veterem mythologiam aevo medio atque in Renato Italo veluti redivivam in hoc nec ignobili opere lectores invenient; nexusque inter pulchriores artes et litteras certo quodam judicio recte ponderatur. Summa cognitionis copia in historia et arte praeceptisque, ut ajunt, philologicis innixa, ac quodam dicendi genere puro et nitore pleno A. F. Sallmann propriam ac singularem uniuscujusque personae figuram deorum honore consecrae patefacit. Pari quoque perspicuitate animadvertis gentiles deos, postquam judicij sanitas corrupta est litteraeque inclinatae jam sunt, adversante tamen fortuna, reviviscere, eorumque memoria summis extolli laudibus in praestantissimis poetarum scriptis. Haec in toto opere fere excellet virtus quod comparativo judicio innumerae descriptiones ad artes liberales pertinentes, quae hinc inde in veterum ac recentiarum litterarum monumentis

reperiuntur summa diligentia ponde-  
rantur atque expenduntur.

Josephus M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F.

**Aemilius Dorsch S. J.** «*Institutiones Theologiae Fundamentalis*». Vol I. *De Religione Revelata*, XVI, 829 pag. in 8.<sup>o</sup> F. Rauch. Deni-  
pone. 1930.

Auctor in usum auditorum opus  
hoc conscripsit. Notetur tamen trac-  
tatum *De Religione* partem minimam  
constituere primi cursus theologici,  
seu Theologiae Fundamentalis, ut di-  
ci solet. Quia ideo alii duo tractatus  
*De Ecclesia* (800 pag.) et *De Sacrae  
Scripturae Inspiratione* (450 pag.)  
ejusdem cursus ejusdemque Auctoris  
conjunctim 1230 paginis constant, inte-  
ger cursus theologicus P. Dorsch ul-  
tra quam tempus unius cursus permit-  
tere videtur, nempe, ad 2879 paginis  
in 8.<sup>o</sup> majore protrahitur. Coercenda  
est tanta calami facundia in textuum  
confectione, ne in mente dissentium  
profunditas doctrinae nimiae ejusdem  
extensioni et erationi immoletur,  
*pluribus enim intentus, minus est ad  
singula sensus*.

Sed defectulus hic pluribus oppor-  
tunitatibus compensatur; nam tracta-  
tus P. Dorsch certe dignus est qui ab  
omnibus Theologiae Fundamentalis  
cultoribus laudetur ob magnam theo-  
logicarum rerum copiam, ob argu-  
mentorum soliditatem, ob selectam  
bibliographiam, ob stylum rite excul-  
tum, immo et ob libertatem quaenodan-  
tur quæstiones etiam contra commu-  
nenm theologorum opinionem, ubi fi-  
des permittit et veritas jubet. Sic  
contra plures docet Apologeticam  
proprie ad Theologiam minime perti-  
nere. Et si Garrigou-Lagrange scribit  
(*De Revelatione*, pag. 22) Theologiae  
esse de omnibus tractare quae sint de  
fide, et plura esse de fide definita cir-  
ca fidem ipsam, hoc modo distinguit  
F. Dorsch; *Id quidem verum est; sed*

*ut tanquam revelata ex munere The-  
ologie admittantur, fundamentalis,  
qua talis integre munere suo functa  
sit oportet; et quae in his quae reve-  
latis versatu jam non est Theologia  
Fundamentalis.*

Uno verbo, dignitas et praestantia  
materiae cum dignitate processus ra-  
tionalis et litterarii in hoc tractatu  
*De Religione Revelata* nobis bene  
congeminata videntur.

P. Rojas, C. M. F.

**Florilegium Patriticum. Bonae  
Sumptibus Petri Hantein Fosc.  
I-XII digessit, vertit, adnotavit  
Gerardus Rauschen.**

### I. Monumenti Aevi Apostolici

Ed. altera. I hoc Florilegii fasciculo,  
qui anno 1904 primum in lucem pro-  
diit, Doctrina XII Apostolorum, S.  
Ignatii Epistula ad Romanos, S.  
Polycarpi Martyrium, quae sunt mo-  
numenta Aevi Apostolici post libros  
canonicos praecipua, integra reperi-  
tiuntur: ex ceteris vero Patribus  
Apostolicis capita tantum selecta.  
Textui Graeco adjecta est versio La-  
tina cum adnotationibus non nullis.  
Initio doctor de scriptis editionibus  
que Patrum Apostolicorum pauca  
disseruit.

### II. S. Justini Apologiae Duae.

Ed. altera. In altero Florilegii fasci-  
culo Justini martyris Apologiae duae  
integrae leguntur, quae apologeta-  
rum antiquissimorum monumenta  
sunt praestantissima. Prolegominis  
Justini vita et scripta, argumenta  
editionesque apologetarum illustran-  
tur: textui Graeco versio Latina et  
commentariolus accedit, exponens  
cum locorum difficultorem interpre-  
tationem tum diversas in codicibus  
lectiones.

J. D.

**Prof. Emmanuel Jové, C. M. F.  
Moderator**

**Typographia F. Camps Calmet, — Tarregas**